



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

Anno Decimoquarto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

1713.
& 1714.
Concessio
præd. Indul-
gentiæ die 9.
Martii.

& Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem receptis, qui aliquam ex Ecclesiis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum tam hæcenus erectis, quam in posterum quandoque erigendis, & ubicumque locorum existentibus die festo ejusdem Sanctæ Catharinæ, nempe die nona Martii, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Clausula.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Novembris MDCCXIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

CXXX.

Reformatur Constitutio Pauli III. super facultate Confessoriorum Hospitalis Sanctæ Mariæ de Consolatione cum illius extensione ad Confessorios aliorum Hospitalium de Urbe.

Laudata Constitutio ed. fuit. 1544. Jun. 13. Innocent. XII. Const. ed. 1694. Aug. 18. P. 3. concessa fuit Indulgentia plen. pro Archihospitali S. Spiritus in Saxia. Hujus Pontificis Const. ed. 1711. Maji 13. P. 11. interdicta fuit etiam Pœnitentiis iis facultas absolventi a cubus S. Sedi reservatis. Et Bened. XIII. Const. ed. 1726 Decem. 6. P. 3. erigit Hospitalia B. Gallicani, eique Privilegia conceduntur.

Dat. 12. Jan.
1714. An. 14.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad perpetuam rei memoriam.

Epitome
Constitutio-
nis Pauli III.
qua concessa
fuit Confes-
sariis a Cu-
stodibus de-
putatis facul-
tas absolven-
di a censuris,
& peccatis
S. Sedi refer-
vatis como-
urandi Vota,
& impetra-
di Indulgen-
tiam plena-
riam in arti-
culo mortis.

Alias pro parte tunc existentium Custodum Confraternitatis Hospitalis Beatæ Mariæ de Gratiâ, Consolatione, & Porticu nuncupatæ de Urbe fel. rec. Paulo Papæ III. Prædecessori Nostro exposito, quod in dicto Hospitali, quod ex elemosynis Christianorum gubernabatur, quamplures pauperes infirmi utriusque sexus diversarum nationum pro sanitate recuperanda venientes, in dies recipiebantur, qui ex Statuto, vel consuetudine ipsius Hospitalis antequam ad cubacula accederent, eorum peccata Confessoribus ad hoc per Custodes deputatis confiteri tenebantur, & in eadem expositione subjuncto, quod licet verisimiliter credendum esset quod in erectione dicti Hospitalis, aut postmodum, vel alias a Sede Apostolica concessum fuisset, quod infirmi ad Hospitalia hujusmodi accedentes ab omnibus, & singulis eorum peccatis etiam Sedi Apostolica reservatis absolvi possent; nihilominus, quia de hujusmodi concessione non constabat pro parte prædictorum Custodum, & Confratrum eidem Paulo Prædecessori humiliter supplicato, quatenus eorum, & ipsorum infirmorum conscientiarum tranquillitati opportune consulere, & alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaretur: Idem Paulus Prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatu-

Presbytero, & Presbyteris per Custodes dicti Hospitalis pro tempore existentes deputatis, & ab illis deputandis, etiam si Presbyteri Sæculares, vel cujusvis Ordinis, & Mendicantium Regulares fuissent, omnium, & singulorum utriusque sexus Christianorum personarum tunc & pro tempore ad dictum Hospitalia pro sanitate recuperanda confluentium cujuscumque qualitatis, etiam si divites, & etiam si Clerici Regulares, vel cujusvis Ordinis, etiam Mendicantium Regulares fuissent, confessiones quotiescumque confiteri voluissent, audiendi, & illis auditis eos ab omnibus, & singulis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis quomodolibet latis, & votorum quorumcumque, Juramentorum, & Ecclesiæ mandatorum transgressionibus, perjuriarum, & homicidii mentalis, vel casualis, necnon adulterii, incestus, stupri, fornicationis, sacrilegii reatibus, omnibusque aliis, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam si Sedi Apostolicæ reservatis, de quibus corde contriti, & ore confessi fuissent, etiam si talia fuissent, propter quæ merito Sedes Apostolica esset consulenda, absolventi, & pro commissis poenitentiam salutarem injungendi, necnon vota quæcumque (ultra marino, visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Jacobi in Compostella, necnon Religionis, & Castitatis Votis dumtaxat exceptis), in alia pietatis opera commutandi, juramenta quæcumque relaxandi, ipsique infirmis Ecclesiastica Sacramenta, prout eatenus fecerant, ministrandi, ac eis in articulo mortis plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, etiam si mors non subsecqueretur, & quoties mors immineret, vel in dicto mortis articulo constituti viderentur, impendendi, licentiam, & facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica concessit, & largitus fuit, & alias prout in prædictis Pauli Prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 13. Jun. 1544. expeditis Literis, quorum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Cum autem, sicut Venerabilis Frater Fabricius Episcopus Lycien. Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & Locorum piorum Alimæ Urbis nostræ, auctoritate Apostolica instituta deputatorum Pro-Secretarius, Nobis nuper exponi fecit, ipse facultates a memorato Paulo Prædecessore per Literas supradictas Confessariis dicti Hospitalis concessas, ut præfertur, etiam ad aliorum ejusdem Urbis Hospitalium Confessorios per Nos extendi plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsius Fabricii Episcopi, & Pro-Secretarii votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum sententiarum absolventes, & absolutum fore consentientes hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictas

Preces Pro-
secretarii Vi-
sitationis An-
pro facultatis
extensione
ad alia Hos-
pitalia Ur-
bis.

Pauli

Reformatio facultatis pro foro conscientiae tantum quibusdam casibus exceptis ejus que extensio ad Confessarios aliorum Hospitalium Urbis.

Pauli praedecessoris Literas quo ad dictum Hospitalium Confolationis, sicut praemittitur, emanatas, auctoritate Apostolica tenore praesentium reformamus, & declaramus, itaut facultas in eis concessa intelligatur pro foro conscientiae tantum, exceptis casibus in Bulla Cœnæ Domini, necnon publicæ violationis clausuræ Monialium ad malum finem, Presbytericii publici, ac casus publici violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ, imo etiam occulti in terminis Constitutionis piæ mem. Greg. Papæ XIV. pariter Praedecessoris nostri, quæ incipit - *Cum alias nonnulli &c.*, etiam si ejusmodi violatio auctoritate publica secuta fuerit, ac citra ullam facultatem dispensandi super irregularitate; Indultum vero hujusmodi sic reformatum, & declaratum etiam aliis prædictæ Urbis Hospitalibus harum ferie concedimus.

Clausula.

§. 3. Decernentes eas praesentes literas nullo unquam tempore revocari, suspendi, vel limitari, aut eis derogari posse, nec sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus comprehendi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas esse, & ceteri, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Januarii MDCCLXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXI.

Confirmatur electio, & Coronatio Caroli VI. in Regem Romanorum futurum Imperatorem.

Const. ed. 1711. Dec. 18. P. 12. extat declaratio quædam super confirmatione hujus Electionis: Et Const. ed. 1714. Mar. 10. P. 14. agitur de precibus Primariis ejusdem Regis.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Chariss. in Christo filio nostro Carolo Romanorum, Hungaria, & Bohemia Regi Illustri, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Dat. 26 Febr. 1714. An. 14.

Exordium.

Romani Pontificis, qui Regis Regum, Domini Dominantium, & per quem Reges regnant, ac Legum conditores iusta decernunt in B. Petri Sede vices gerit in terris muneris esse dignoscitur, quæ ad communem utilitatem, salutem, & præsidium, & ad Sacri Romani Imperii statum pertinenti Judicii, & auctoritatis suæ robore communire.

§. 1. Quapropter cum clar. memor. Josepho Romanorum Rege in Imperatorem electo fratre tuo germano rebus humanis exempto, seu alias certo, quem præsentibus pro expresso haberi volumus, modo Romanum vacaret Imperium, ejusdem Imperii Principes Electores a Venerabile Fratre nostro Lothario Francisco Archiepiscopo Moguntino pro munere suo in Civitatem Francofurti ad Mœnum, ad certam diem vocati in eadem Civitate convenientes, ut Romanorum Regem futurum Imperatorem eligerent, qui præcelsis, Regisque virtutibus Republicam tueretur, iidem Principes die 12. Mensis Octobris anni Domini millesimi septingentesimi undecimi, Te, qui Hungariæ, & Bohemiæ Rex eras, unanimi consensu, divina favente cle-

mentia, in Romanorum Regem futurum Imperatorem elegerunt, Tuque electionem hujusmodi, oblato tibi de more Decreto, qua decuit modestia, consentisti, ac deinde nempe die 22. Mensis Decembris ejusdem anni in dicta Civitatis collegiata Ecclesia S. Bartholomæi, post Missarum solemnias a prædicto Lothario Francisco Archiepiscopo celebrata per Te in manibus ejusdem Lotharii Francisci Archiepiscopi præfinito more Catholicorum Regum Romanorum Praedecessorum tuorum Juramento, aliisque solemnitatibus rite peractis, dicti Lotharii Francisci Archiepiscopi ministerio, ritu, & pompa solita coronatus fuisti; Quoniam vero electionis, coronationisque negotiis hujusmodi per dilectum filium nobilem virum Herculem, Josephum Ludovicum Turinetti Marchionem de Prié oratorem tuum specialem coram Nobis proponi fecisti, petens omnia præmissa per nos Apostolica auctoritate cæremoniis servari solitis confirmari: Nos de præmissis per legitima documenta sufficienti habito testimonio, & re cum Venerab. Fratribus nostris S. R. Ecclesiæ Cardinalibus diligenter perpensa, & mature considerata magna animi nostri cum spirituali læticia ex eadem electione suscepta ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, gloriosissimæque ejus Genitricis Mariæ, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, necnon ejusdem Romanæ Ecclesiæ, ac Sacri Imperii exaltationem, & honorem electionem de persona Majestatis tuæ in Regem Romanorum futurum Imperatorem, & coronationem in dicta Civitate Francofurti factas ob præstantissimas animi, & corporis tui dotes, luculentissimæque earum indicia, ac testimonia, & certissimam spem, quam de te in Sanctæ Fidei, & Religionis Catholicæ, ac nostræ, & Romanæ Ecclesiæ, illiusque rerum, & bonorum defensione, propagatione, & protectione conceptam habemus, de eorumdem Fratrum consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 2. Ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales qui seu ratione formæ, vel loci coronationis ejusdem, seu ratione personarum eorumdem Electorum tam scilicet eorum, qui abfuerunt, ac suum suffragium minime tulerunt, quam aliorum qui ad suffragium ferendum, licet quovis legitimo jure eligendi destituti essent, admissi fuerint, sive etiam ex eo, quod idem Josephus Electus Imperator de manu Romani Pontificis, auream Coronam non suscepit, imo, nec etiam suæ electionis confirmationem ab eodem Romano Pontifice obtinuerit, seu quavis alia ratione, vel causa in electione, & coronatione hujusmodi quovis modo intervenerunt, seu intervenisse dici, ceteri, vel prætendi possent, sanamus, & supplementus, teque sic electum, & confirmatum ad suscipiendam Imperialis dignitatis culmen suis loco, & tempore dignum, & idoneum, etiam decernimus, & declaramus.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis legibus Imperialibus, ac privilegiis Electoribus ipsis, & quibusvis aliis forsan concessis, quibus etiam si ad illorum derogationem de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma servanda esset, illorum omnium tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris hac vice dumtaxat auctoritate, scientia, pote-

Petitio Caroli VI. pro Confirmatione.

Cautiones a Pontifice adhibitz, & causæ confirmationis.

Confirmatio Electionis, & Coronationis.

Clausula particularis cum decreto pro suscipienda Imperiali dignitate.

stare,

Refertur Electio prædicta 1711. Oct. 12. & Coronatio die 22. Dec. facta.

state, & tenore præmissis specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.
§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, sanationis, suppletionis, Decreti, declarationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimoquarto, Quarto Kalen. Martii, Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

✠ Ego Clemens Catholicæ
Ecclesiæ Episcopus.



† Ego N. Episcopus Portuen. Cardinalis Acciajulus.

† Ego F. Episcopus Prænestinus Card. Spada.

† Ego G. Tit. S. Laurentii in Lucina Prior Presbyterorum Card. Mariscottus.

† Ego F. Tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Afellius.

† Ego B. Tit. S. Prædixis Presbyt. Card. Panciaticus.

† Ego F. Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Card. de Abdua.

† Ego Fr. T. M. Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Ferrari.

† Ego Joseph Tit. S. Mariæ Transpontinæ Presb. Card. Sacripantes.

† Ego J. B. Tit. S. Cesarei Presbyt. Card. Spinula S. R. E. Camerarius.

† Ego Fr. Tit. SS. Jo. & Pauli, Presbyt. Card. Paulinus Major Penitent.

† Ego F. Tit. S. Eusebii Presbyter Cardin. Martellus.

† Ego N. Phil. Tit. S. Honuphrii Presbyt. Cardinalis Spada, S. Honuphrii nuncupat.

† Ego J. Tit. S. M. Angelorum Presbyter Card. Vallemanus.

† Ego J. D. Tit. S. Anastasie Presbyter Cardinal. Paraccianus.

† Ego C. A. Tit. S. Augustini Presbyter Card. Fabronus.

† Ego M. A. Tit. Sanctorum Quirici, & Julite Presb. Card. de Comitibus.

† Ego A. F. S. Petri in Monte Aureo Presbyter Card. Sanvitalis.

† Ego L. Tit. S. Silvestri in Capite, Presbyt. Card. Picus.

† Ego L. Tit. S. Calixti Presbyter Cardinalis de Via.

† Ego P. M. Tit. S. Jo. ante Portam Latinam Presb. Card. Corradinus.

† Ego A. Titul. S. Marcelli Presbyter Cardinal. Priolus.

† Ego S. B. Tit. S. Stephani in Monte Celio Presbyter Card. Ptolomeus.

† Ego F. F. M. Tit. S. Priscæ Presbyter Card. Casinus.

† Ego B. S. M. in Via Lata Diaconus Card. Pamphilius.

† Ego P. S. Laurent. in Damaso Diac. Card. Otthobonus S. R. E. Vice-Cancellar.

† Ego C. Sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis Bichius.

† Ego J. R. S. Georgii in Velabro Diaconus Card. Imperialis.

† Ego Franciscus S. Angeli Diaconus Card. Barberinus.

† Ego L. Nicolai Diaconus Card. de Alteriis.

† Ego C. S. Mariæ de Scala Diacon. Card. Columna.

† Ego N. S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Grimaldus.

† Ego Annibal S. Eustachii Diaconus Card. Albanus.

† Ego C. S. Mariæ in Dominica Diaconus Card. Origus.

Conceditur Carolo VI. Romanorum Regi in Imperatorem electo, ut ad ejus Preces Primarias aliqua beneficia Ecclesiastica conferantur, cum Decreto pro executione similium Precum Josephi I.

Const. ed. 1711. Off. 3. P. 11. nulla declarata fuere Preces Primariæ Vicariorum Imperialium. Const. ed. 1714. Feb. 26. P. 14. confirmata fuit d. Regis Electio, & Inn. XIII. Const. ed. 1722. Jun. 9. P. 2. extat assertio juris Sanctæ Sedis in Regnum Siciliae per Investituram Carolo VI. factam.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum Regi Illustri in Imperatorem electo Salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUM post factam de persona tua per Sacri Romani Imperii Principes Electores in Regem Romanorum Electionem, ac per nos pro

CXXXII.

Dat. 10. Mar.
1714. An. 14.Causæ præ-
sentis Con-
stitutionis.

Univerſæ

Univerſe Chriſtianæ Republicæ ſalute confir-
matam nuper nobis ſignificaveris, Te ſummo-
pere deſiderare perſonas tibi gratas, & acceptas,
gratia, & munificencia aliqua Beneficia Eccle-
ſiaſtica conſequi poſſe, nos quemadmodum
magnis merentur efferri laudibus inſignibusque
præconiis commendari ſublimium Principum
deſideria, & vota, quæ in Divini nominis, &
perſonarum illi Clericali Vinculo adſcriptarum
amore feruntur, & opere poſtmodum conſe-
quente tutum deducuntur in actum, ita etiam
dignum, vel potius debitum exiſtimamus, ut
quoniam in fidei ſinceritate, & devotione illi-
bata Eccleſiæ Sponſæ noſtræ te fidelem Advoca-
tum devoviſti, eamque humili profeſſione
Matrem, & Dominam tuam recognoviſti, &
ad ipſius honorem, & Sacri Romani Imperii
decus, unctiorem Victoriæ, & diadema etiam
noſtro miniſterio advenire tempore ſuſcipere,
& in eis immobilis perſiſtere intendis; Verum
etiam tanquam ipſius Eccleſiæ legitimus Pugil,
& Athleta Te adverſus Schiſmaticorum, & Hæ-
reticorum, Turcarum Tyranni, ac fidei, & Chri-
ſti nominis hoſtis inſanias, & futuros ſpiritu-
aliter, & temporaliter armaris, & in dies arma
hujusmodi jugiter exequeris, ea Tibi favorabi-
liter concedamus, quæ tuæ ceſtitudini cædant
ad honorem, & per quæ eiſdem benemeri-
cis perſonis Te munificum reddere poſſis ope
auctoritatis Apoſtolicæ exhibitione gratiarum.
Hinc eſt quod tuæ ceſtitudinis ſupplicationi in-
clinati dicta auctoritate præſentium ſerie, ei-
dem ceſtitudini tuæ concedimus, & indulgemus,
quod ſi per Te quibuſvis Collatoribus, ſeu Col-
laticibus quorumcumque Beneficiorum Eccle-
ſiaſticorum Sæcularium, vel Regularium Ordini-
um quorumcumque per Sacrum Romanum
Imperium ubilibet conſtitutorum, etiamſi qui,
vel ſi quæ Pontificali, vel alia quavis dignitate
præfulgeant, ſeu Collegia, Capitula, & Con-
ventus fuerint ſuper ſingulis Beneficiis Eccle-
ſiaſticis cum cura, vel ſine cura Sæcularibus,
vel Ordinum hujusmodi Regularibus in ſingulis
Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Colle-
giatis, & aliis quibuſvis Eccleſiis, etiamſi Be-
nificia hujusmodi, Canonicatus, & Præbendæ,
Dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel
officia in eiſdem Cathedralibus, etiam Metro-
politans, vel Collegiatis, & ipſæ Præbendæ in
illis ex hujusmodi Eccleſiis, in quibus majores,
vel minores Præbendæ eſſe noſcuntur, etiamſi
majores fuerint, & dignitates, perſonatus, ad-
miniſtrationes, vel officia hujusmodi conſueve-
rint, qui per electionem aſſumi, eiſque cura im-
mineat animarum, dummodo dignitates ip-
ſæ in Cathedralibus etiam Metropolitanis poſt
Pontificales majores aut Collegiatis hujusmo-
di principales non exiſtant, ad eorundem Col-
latorum, & Collaticum collationem, pro-
viſionem, præſentationem, electionem, ſeu
quamvis aliam diſpoſitionem communiter, vel
diviſim pertinentibus ſingulis perſonis confe-
rendis, ſeu ſuper hoc quod perſonæ hujusmodi
ad illa recipiantur, & admittantur preces por-
rigi, ſeu de perſonis eiſdem ad hujusmodi Be-
nificia nominationes fieri contigerit primarias,
iidem Collatores, & Collatrices ſalvo, quod
ſingulæ collationes, & ſingulæ Eccleſiæ ex hoc
ultra quam in uno Beneficio non graventur, ac
ipſi Collatores, & Collatrices ſaltem quatuor
Beneficia Eccleſiaſtica conferre habeant hujus-
modi precibus, & nominationibus parere, &
intendere, necnon perſonas ipſas ad hujusmo-
di Beneficia, poſtquam ipſis de illis canonicè
proviſam fuerit juxta earundem precum, aut
nominationum tenorem recipere, & admittere
debeant, & etiam tueantur, ita quod ceſtitudi-
tua, unam, & eandem perſonam ſupradictis
Collatoribus, & Collatricibus ſimul, vel ſuc-

ceſſive nominare poſſit; ita tamen, quod quam-
primum perſona ſic nominata de aliquo Benefi-
cio proviſa fuerit, ejus nominatio, quoad alios
Collatores, vel Collatrices facta, ipſo jure ex-
piret, & quoad eandem preces Canonicatum,
& Præbendam, ac dignitatem, ſeu perſonatum,
adminiſtrationem, vel officium in una Eccleſia
pro unico dumtaxat Beneficio computari debe-
re declaramus; quodque quicumque, quibuſ-
vis in dignitatibus conſtituti, ſeu Eccleſiarum
Cathedralium Canonici ſinguli, videlicet in
illis, quos pro ſingulis perſonis prædictis pre-
cum, & nominationum hujusmodi, & ad hoc
ut illæ ſortiantur effectum, etiam præſentium
executores deputaveris per te vel per alium,
ſeu alios Beneficia prædicta cum in quibuſvis
etiam Ordinariis Collatoribus per Conſtitutio-
nes noſtras, aut literas alternativas, aliaque
privilegia, & Indulta quæcumque quomodolibet
conceſſis, & impoſterum concedendis, aut aliis
quibuſcumque Menſibus vacaverint, & quæ per-
ſonæ, pro quibus preces, & nominationes hu-
juſmodi factæ fuerint, quatenus hujusmodi pre-
ces, ſive nominationes ad illa ſe extendant
infra menſem, poſtquam ipſis vacatio hujusmo-
di Beneficiorum innotuerit, duxerint acceptan-
da, etiamſi ipſa Beneficia, diſpoſitioni Apoſto-
licæ alias quam per Conſtitutionem felic. recor.
Benedicti Papæ XII. Prædeceſſoris noſtri, quæ
incipit - *Ad regimen* - generaliter reſervata exi-
ſtant, & ex diverſis perſonis vacaverint, & per-
ſonæ nominata prædictæ tempore aſſecutionis
Beneficii ad quod nominata fuerint, aliud Be-
nificium in eadem Eccleſia obtineant, ac ſe-
cundum Statuta, & conſuetudines Eccleſiarum,
in quibus Beneficia hujusmodi conſtituerint, vel
Indulta Eccleſiis conceſſa capaces videlicet in
ætate legitima conſtituta, aut de legitimo ma-
trimonio procreata non ſint, dummodo quoad
hujusmodi qualitates alias cum eis canonicè diſ-
penſatum, & Beneficia in eadem Eccleſia obti-
nenda talia ſint, quæ ſine diſpenſatione Apo-
ſtolica inſimul obtineri poſſint, aut conſueve-
rint, ac ipſorum vacantium Beneficiorum Colla-
tio non fuerit juxta Lateranen. Statuta Concilii
ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ne-
que ſuper illis inter aliquos lis pendeat indeci-
ſa, cum omnibus Juribus, & pertinentiis ſuis,
perſonis ipſis, etiam duo, vel tria, ſeu plura
quarumcumque qualitatis, & cujuſcumque an-
nui valoris Eccleſiaſtica Beneficia obtinentibus,
& expectantibus conferre, etiam assignare, nec-
non omnia, & ſingula, quæ ad hoc ut pre-
cum, ſeu nominationum, & acceptationum, ac
Collationum hujusmodi ſuccedunt effectus, op-
portuna fuerint facere, auctoritate noſtra per
cenſuram Eccleſiaſticam exequi poſſint, & vale-
ant, ſuper quibus ipſis plenam, & liberam au-
thoritate prædictæ tenore præſentium poteſtatem
concedimus, ac etiam facultatem, ac perſonis
prædictis pro quibus hujusmodi primarias pre-
ces porrigi, ſeu nominationes fieri contigerit,
quod ipſe expectativis, ac nominationibus, ſeu
ſpecialium reſervationum de quibus Beneficiis
pro eis factarum gratis, & mandatis de provi-
dendo ipſis de eiſdem, ſiquæ ipſis conceſſa fue-
rint una cum gratia precum, & nominationum
primariarum earundem uti poſſint, nec aliqua
gratiarum hujusmodi conſumpta, reliquæ ear-
undem caſſæ cenſentur, vel irritæ, indulge-
mus. Præterea cum ſicut accepimus, ac ex au-
thenticis ad Nos allatis documentis liquido con-
ſtitit, etiam clar. mem. Joſepho, dum vixit,
Romanorum Regi in Imperatorem electo ger-
mano fratri tuo animus non deſuerit, ad ea
omnia explenda, quæ pro confirmatione electio-
nis dudum de ejus perſona in eundem Roma-
norum Regem futurum Imperatorem ſimiliter
factæ obtinenda tam juxta Sacrorum Canonum

Conceſſio
præd. cum
quibuſdam
reſtrictio-
nibus, & ex-
ceptionibus.

Decretum
præd. cum
confirmati-
one Elec-
tionis Jo-
ſephi I.

præscriptum, quam juxta veterem Apostolica Sedis morem, requirebantur, nisi immaturus illius obitus cuncta turbasset; adeoque per ipsum non steterit, quo minus ejus electio prædicta a Nobis confirmata fuerit; Idcirco memorati Josephi Regis electionem perinde ac si a Nobis rite, & recte ac servatis servandis cum suppletionem, ac sanationem quorumcumque defectuum, aliisque omnibus opportunis, & necessariis clausulis, & decretis, approbata, & confirmata fuisset habere volentes, ac habendam esse decernentes: Ut etiam similes preces pro Beneficiorum hujusmodi cum primum illa vacassent, collatione, ab eodem Josepho Rege, dum viveret sub spe simile Indultum a nobis post suæ electionis confirmationem assequendi, expeditæ, quas Collatoribus, & Collatricibus prædictis hæcenus exhiberi contigit, seu imposterum continget, suum integrum, ac plenum effectum fortiri, & obtinere debeant de speciali gratia, quæ nunquam transeat in exemplum similiter indulgemus: Servatis tamen restrictionibus, & exceptionibus supradictis, & citra illorum præjudicium, quos in possessione Beneficiorum sibi a nobis, sive a quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus prædictis collatorum, exclusis prorsus, ac nullatenus ad illam admittis iis, in quorum favorem preces, seu nominationes prædictæ pro Beneficiis hujusmodi a memorato Josepho Rege porrectæ, seu factæ fuerunt, reperiri contigerit; Quibus tamen, sicut præmittitur, exclusis Beneficia primo vacatura conferri debebunt.

Clausulæ
particulares.

§. I. Non obstantibus nostris de non utendo gratia expectativa, ac reservatione speciali, vel duabus gratis insimul, ac de insinuatione, & publicatione, & diligentis per acceptantes desuper faciendis, ac in favorem ordinariorum Collatorum, necnon expectativas in forma pauperum habentium, ac illustrium, & graduatorum, ac Sedis prædictæ Officialium, ac certas inibi expressas gratias habentium, necnon quibuscumque in Cancellaria Apostolica quandocumque publicatis, & publicandis, ac aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon aliis Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi forsitan fuerint, statutis, & consuetudinibus, illis præsertim, quibus in Ecclesiis, in quibus majores, & minores Præbendæ hujusmodi fuerint, caveri dicitur, quod nullus inibi majorem Præbendam majore assequi valeat, nisi illam de minori gradatim, & per optionem ascendat, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus super provisione sibi faciendâ de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis speciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literæ, etiam nostræ, vel eas concedentium proprio motu, aut cujusvis etiam quocumque respectu, & ad cujuscumque instantiam sint concessæ, vel concedantur in posterum seu si speciales de hujusmodi Beneficii per Nos, vel Sedem prædictam, aut quæcumque aliæ, aut quacumque etiam Ecclesiastica, vel mundana dignitate fungentibus per Sedem prædictam concessarum, vel concedendarum vigore reservationum, sive earundem facultatum obtenta ad hujusmodi Beneficia quarumcumque personarum nominationes pro tempore factæ fuerint, quas quidem literas etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet processum fuerit, necnon reservationes, facultates, & nominationes cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis clausulis, quæ præsentium effectum suspendere, impedire, vel perimere, aut alias eisdem præsentibus quomodolibet obtentæ viderentur, sive ex certa scientia nostra, vel simili motu, sive alias sub quibusvis forma, & expressione verborum, &

quæ fortassis totalis sui tenoris insertionem, ac illorum in quibus concessa sunt, vel fuerunt, nominum, & cognominum individualem expressionem præsentibus faciendam ad hoc ut illis per eandem præsentem sufficienter derogeretur, exigunt, vel requirunt, & quæ ipsis præsentibus perinde ac si earum tenor de verbo ad verbum insertus foret pro expressis habeatur emanarunt, ac mandata de providendo inde secuta cum processibus per ea, quæ pro tempore habitis, nisi illi pro quibus emanaverint, ut præfertur, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium numero fuerint ad Beneficia, quæ precum, & nominationum primariorum vigore per personas pro quibus illæ factæ fuerint, ac acceptata, & de quibus eis provideri contigerit minime extendi, quinimo in illorum executione personas ipsas omnia, & quibuscumque earum literarum, & expectatarum, & reservationum hujusmodi vigore, & cum quibusvis antelationum prærogativis, etiam illis, quas certis nostris familiaribus continuis commensalibus in Cancellaria Apostolica, ac aliis nostris literis ad effectum, & aliis in assecutione Beneficiorum conferendis nominatim descriptis concessimus, & cum similibus derogatoriis clausulis, quæ nulli quominus præsentium succedant effectus, suffragari debeat expectantibus, etiam si illarum obtentum in quibusvis Ecclesiis in Canonicos recepti, ac de numero ipsorum familiarium continuorum commensalium antiquorum fuerint, necnon gratias in eorum forma pauperum habentibus, ac Officialibus, & illustribus, ac alias quascumque facultates habentibus, etiam nostris familiaribus continuis commensalibus antiquis, & descriptis, & in posterum describendis, dictis Cardinalibus dumtaxat exceptis, anteferi volumus, sed nullum per hoc expectantibus prædictis quoad assecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si dictis Collatoribus, vel Collatricibus, vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit Sede Indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneatur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia generali, vel speciali cujuscumque tenoris existat per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis, aut si personæ prædictæ præsentem non fuerint ad præstandam de observandis statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus hujusmodi Beneficia fuerint, ut præfertur solita juramenta, dummodo in absentia sua per Procuratores idoneos, & cum ad Ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa præsentem, necnon concordatis Nationis Germanicæ, ac eorumdem concordatorum confirmatione, ac prædictis, ac quibuscumque aliis quandocumque editis, & edendis Constitutionibus, & regulis nostris, & dictæ Cancellariæ, ad quarum solemnitatem, adstrictionem, formam & satisfactionem, seu observantiam, habentes preces, seu nominationes hujusmodi minime teneantur, nec ipsæ preces, sub illis comprehendantur quoquomodo, necnon quibusvis privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, & quibusvis gratis, expectativis specialibus, vel generalibus, etiam mensalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis, &

temporalibus

temporalibus nominationibus, ac reservandi, uniendi, annectendi, incorporandi, ac nominatis, & aliis conferendi, commendandi, suppressendi, & extinguendi, aliisque citra accessus, & regressus de consensu, facultatibus, literis, mandatis, & indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, commendis, & aliis dispositionibus ex tunc, & gratis quibusvis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, & quacumque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali, sive Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori auctoritate, præminentia, nobilitate, & excellentia, ac etiam Cardinalatus honore fulgentibus, & familiaribus continuis commensalibus nostris, etiam descriptis, & antiquis, & in eorum, ac Ecclesiarum etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, ac Patriarchalium, & principalium Monasteriorum, Mensarum, Capitulorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum quorumcumque cum cura, & sine cura secularium, & quorumvis Ordinum Regularium, locorum piorum, Universitatum, Studiorum, & aliorum quorumcumque aut in nullius favorem, aut eorum, necnon jurium cessorum, vel oblatorum, aut spoliatorum, damnorum, etiam per infideles illatorum, & obsequiorum Nobis, Romanæque Ecclesie, vel prædictæ Sedi, aut pro Fide Catholica impensorum, seu quibusvis aliis excogitabilibus, & urgentissimis, & insolitis, necnon exprimentis causis consideratione, contemplatione, instantia, intuitu, ratione, vel respectu, ac Motu proprio, ac ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, & cum quibusvis antelationum prærogativis, declarationibus, concessionibus, favoribus, suspensionibus, ac gratiis, & restitutionibus, modificationibus, exceptionibus, & annullativis, irritativis, ac derogatoriis derogatoriis, necnon prædictam, & alias quascumque concessas, & concedendas gratias suspendentibus, ac illis derogantibus, necnon mentis, & intentionis, ac perpetuæ, & incommutabilis voluntatis nostræ fuisse, & esse de non revocando, & suspendendo gratias easdem, & illis non derogantibus quomodolibet attestantibus, & in pristinum, & validissimum statum reponentibus, restituentibus, ac plenarie reintegrandibus, ac per modum pacti, & initi contractus, ac perpetui Statuti, necnon gratias ipsas, ut de actu vacantibus expectare, & ex nunc vere, & non fite, etiam quoad possessionem prædictorum Beneficiorum, ac omnes juris, & facti defectus plenum esse sortitas effectum decernentibus, & declarantibus, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis per Nos, & Sedem prædictam, aut ejus legatos in genere, vel in specie, etiam nominatim de dictis Beneficiis, & alias quomodolibet emanatis, quibus etiam in illis, quod illæ non nisi certis modis, & formis inibi expressis, & nominatis, verbisque, & signis inibi appositis, & omni diversarum literarum Apostolicarum expeditione, & intimatione, etiam diversis temporibus faciend., ac de consensu eorum, quorum interesse concernebatur, aut etiam nullatenus suspendi, moderari, aut eis in aliquo derogari posset, & quatenus suspendentur, aut illis derogaretur, toties de novo, & sub quacumque data per illos, quorum interesse concernebatur eligenda concessæ, & factæ sint, & esse censeantur, ac expediri possint, ac si non aliter per quoscumque iudices, & personas, judicari debeat, caveatur expresse, illorum omnium tenores, presentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, ac modos, & formas hujusmodi pro individuo servatis habentes ad effectum præsentium omnino derogamus, & in dictis Beneficiis cum, ut præfertur, vacaverint, effectum sortiri, aut locum sibi vin-

dicare, necnon decernentes præsentibus literas nullatenus de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis defectu notari, aut impugnari posse, nec debere, & sic per quoscumque tam ordinaria, quam delegata, & mixta auctoritate fungentes Iudices, & personas ubique judicari, cognosci, atque decidi debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, cognoscendi, & decidendi facultate; necnon irritum, & inane quidquid secus super præmissis omnibus, & singulis, vel eorum aliquo quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 2. Præterea quia difficile foret præsentibus literas ad singula loca deferri, volumus, & dicta auctoritate nostra decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ubique adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, concessionis, indulti, derogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millefimo Septingentesimo Decimotertio, sexto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Conceditur suffragium deliberativum Diffinitori Adjuncto Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallia.

CXXXIII.

Idem suffragium concessum fuit Diffinitoribus Adjunctis Const. ed. 1708. Jul. 25. P. 8. Et Bened. XIII. Const. ed. 1727. Jun. P. 4. eduntur quedam Ordinationes pro bono regimine.

C L E M E N S P A P A X I .

Dat. 11. Junii
1714. An. 14.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Fallot Procurator Generalis Congregationis Clericorum Sæcularium Doctrinæ Christianæ in Gallia, quod cum dilecti filii Capitulares ejusdem Congregationis in eorum Capitulo Generali Anno 1705. celebrato congregati Sess. 18. decrevisset, ut ad servandam inter Provincias Congregationis prædictæ æqualitatem, Diffinitor Adjunctus, qui loco, & vice Procuratoris Generalis in Alma Urbe nostra, vel Procuratoris Provinciarum Congregationis hujusmodi Parisiis respective degentium, tam in Diffinitorio, quam in Capitulo Generali cum illis interesse nequeant, votum, sive suffragium haberet, in futurum eligeretur, Capitulares prædicti considerantes pro tempore existentem Procuratorem Generalem Congregationis prædictæ ex Provincia Avenionen. semper assumi consuevisse, adeoque hanc Provinciam propter ejusdem Procuratoris absentiam una voce, & suffragio in Diffinitorio, ac etiam in Capitulo Generali, si ad illud se conferre minime valeret, privari posse, dilectum pariter filium Anselmum Epitallier Clericum Congregationis, & Provinciæ Avenionen. prædictorum filium in Diffinitorem Adjunctum hujusmodi cum voce consultiva tantum, reservato quoad vocem deliberativam nostro, & hujus Sanctæ Sedis beneplacito, ac sub conditionibus in Decreto ab iisdem Capitularibus desuper edito, elegerunt; Quod quidem Decre-

Id antea decretum fuerat in Capitulo Gen. 1705. approbatum a S. Congregatione, & confirmatum ab hoc Pontifice.

Preces Procuratoris Generalis, & causa presentis concessionis.

tum subinde ab infra scripta Congregatione Cardinalium approbatum, & per quosdam nostras desuper in simili forma Brevis expeditas literas confirmatum fuit.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio sub-
jungebat, dilectus etiam filius Paulus Rigord Clericus ejusdem Congregationis in Capitulo Generali Anno 1711. Parisiis celebrato ad munus Diffinitoris adjuncti prædictum, seu Substituti dicti Procuratoris Generalis electus fuerit, ac proinde prædictus Joannes Procurator Generalis, ne unquam futuris temporibus de validitate electionis prædicti Pauli in Diffinitorem adjuncti, ac de Beneplacito hujusmodi, dubitari queat, illam Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocínio per Nos communiri, ac eidem Paulo, ejusque pro tempore successoribus ad idem munus aservandis vocem deliberativam, cum aliis prærogativis in prædicto Capitulo Generalis Decreto contentis concedi plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut eidem Paulo in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac eorundem Joannis Procuratoris Generalis, & Pauli singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, eidem Paulo, ejusque in dicto Diffinitoris Adjuncti officio pro tempore successoribus vocem deliberativam tam in Capitulo Generali, quam in Diffinitorio hujusmodi, cum omnibus Privilegiis, & conditionibus in memorato Decreto Capitulo Generalis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus.

Concessio præd.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præsentis Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis, & Provinciarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Junii MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimo-quarto.

Conceditur Ministro Gener. Ordinis Fratrum Capuccinorum facultas restituendi Discretos in Provincia Flandro - Belgica.

CXXXIV.

Hujusmodi Discreti primo abrogati fuere in Regnis utriusque Castellæ Inn. XII. Const. ed. 1693. Martii 29. P. 2. Deinde in Provinciis Bæticæ, & Navarræ Const. ed. 1693. Sep. 12. Item in aliis Const. 1694. Apr. 5. P. 3. Ac demum in Provincia Flandro - Belgica hujus Pontificis Const. edita 1703. Aug. 28. P. 2. Bened. vero XIII. Const. ed. 1727. Septem. 30. P. 4. restituntur Discreti in Provinciis Hispaniarum.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Dudum pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis exposito, quod cum alias ad tollendam, & incommoda, quæ Fratres Provinciarum Regnorum utriusque Castellæ Veteris scilicet, & Novæ nuncupat. Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum ex electione Discretorum, qui a Conventibus ad effectum sua suffragia in Capitulis Provincialibus ferendi eligi consueverant, in Religiosæ pacis, & concordie, ac Regularis disciplinæ præjudicium passi fuerant fel. rec. Innoc. PP. XII. Prædecessor noster per quosdam suas in simili forma Brevis die 29. Maji 1693. expeditas literas Discretos prædictos in dictis Provinciis sustulisset, & removisset, ac subinde inter alia remotionem, & abolitionem Discretorum hujusmodi, expeditaque desuper Literas prædictas ad Provincias Bæticæ, & Navarræ per alias suas itidem in forma Brevis literas die 12. Septembris ejusdem anni desuper emanatas extendisset, & ampliasset; dilecti vero filii Fratres Provincie Flandro - Belgicæ prædicti Ordinis eadem damna, & incommoda ex simili Discretorum electione pati cogentur, tam ipsi, quam prædictus Philippus Rex, commune hujus quoque Provincie bonum promovendi studio ductus, usum eligendi Discretos prædictos in eadem Provincia abrogari, & Apostolicæ desuper auctoritatis nostræ partes interponi plurimum desiderabant, Nos piis ipsius Philippi Regis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attento Voto Venerabilis Fratris nostri Nicolai Episcopi Portuen. S. R. E. Cardinalis Acciajoli nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, ad quem supplicem Libellum nobis super præmissis porrectum remisimus remotionem, & abolitionem Discretorum hujusmodi in dicta Provincia Flandro - Belgica ad impediendas relaxationes, & evitanda præjudicia, quæ in Regularem observantiam ex illorum electionibus irrepere solebant, expedire, ac in Religiosis, ejusque regiminis bonum cessuram esse censentes, Discretos prædictos in eadem Provincia auctoritate Apostolica sustulimus pariter, & removimus, & alias prout in nostris itidem in simili forma Brevis die 28. Augusti 1702. expeditis Literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 1. Cum autem sicut dilecti filii Michael Angelus a Ragusia Minister Generalis, Joannes Antonius a Florentia in Romana Curia Procurator, & Commissarius Generalis, Ti-

Referuntur due Constitutiones Innoc. XII. pro abolitione dd. Discretorum, in variis Provinciis, & alia hujus Pontificis pro Provincia præd.

Dat. 13. Julii 1714. An. 14.

Preces Ministri, Procuratoris, & Diffinitorum Gene-

motheus

ralium, nec non causæ præsentis concessio.

motheus a Flexia, & Timotheus a Rodenas Diffinitores Generales Ordinis prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, ab eo tempore experientia compertum fuerit, non solum damna, & incommoda ex eorumdem Discretorum electione sublata minime fuisse, sed majora in gravius Religiosa pacis, & concordie, necnon Regularis observantiæ præjudicium etiam cum scandalo, & Sæcularium admiratione emeruisse, ac in dies emergere, ac proinde fratres prædictæ Provinciæ Flandro-Belgicæ eorum Discretorum electionem, pro qua pluries ne dum Superioribus Generalibus, & dicto Nicolao Episcopo Cardinali, & Protectori, ac Nobis præsertim in Comitibus Generalibus die 13. Maji anni 1712. in Alma Urbe nostra celebratis supplicaverant, restitui summopere desiderant. Nobis propterea prædicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attento etiam voto ejusdem Nicolai Episcopi Cardinalis, & Protectoris, prædicto Michaeli Angelo Ministro Generali, auditis prius, ac visitatis omnibus, & singulis ejusdem Provinciæ Flandro-Belgicæ Fratribus, ac re serio, prudenter, & diligenter examinata electionem Discretorum hujusmodi, si id Divinæ gloriæ, publicæ tranquillitatis, ac regularis observantiæ incremento in Domino expedire judicaverit, restituenti facultatem dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, & impartimur.

§. 3. Non obstantibus prædicti Innocentii Prædecessoris Litteris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. M. Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Julii MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Concessio præd. Ministro Gen. facta sub certis conditionibus.

Clausula.

CXXXV.

Conceduntur omnia privilegia Congregationum Ord. S. Benedicti Congregationi Monachorum Bohemiæ, illiusque membris in Moravia, & Silesia.

Inn. XII. Const. ed. 1699. Sep. 24. P. 9. Benedictinis in Austria concessæ fuere gratiæ spirituales Congregationis Cassinens. Eadem conceduntur Congregationi Augustinæ a Bened. XIII. Const. ed. 1725. Maji 4. P. 1. Et Congregationi in Bohemia Const. ed. 1728. Oct. 7. P. 5.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dat. 6. Oct. 1714. An. 14.

Exordium.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo hu-

militati nostræ committere dignata est salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes Religiosos virós sub suavi Monastica vitæ jugo vota sua reddere, uberesque bonorum operum fructus aspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentes, ut eo alacrius pietatis exercitiis incumbant, favoribus, & gratis libenter prosequimur opportunis.

§. 1. Exponi liquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Otthmarus Abbas Monasterii Bizeunoviensis Ordinis S. Benedicti in Regno Bohemiæ Sedi Apostolicæ (ut asseritur) immediate subiecti, quod ipse, qui (ut asserit) inter alias prærogativas quibus ex privilegio Apostolico gaudet, caput, & Magister in correctione, & reformatione regularis disciplinæ super omnia claustra dicti Ordinis in prædicto Regno existentia, existit, tam sibi, ejusque successoribus, quam toti Congregationi, Monasteriis, & Locis prædicti Regni ejusdem Ordinis ejus correctioni, & reformationi subiectis, ut præfertur, necnon filiabus Præposituris, Prioratibus, seu Monasteriis eidem Monasterio Bizeunoviensi in eadem Bohemia, ac Kan-Gradenfi in Moravia, & Waldstedienfi in Silesia existentibus, aliisque prædictæ Congregationi in futurum uniendis, illorumque Præfidentibus, Visitatoribus, Abbatibus, Monachis, & personis præsentibus, & futuris, omnes, & singulas gratias, tam spirituales, quam temporales variis Congregationibus, & Monasteriis concessas, omniaque, & singula alia privilegia, quibus Congregatio Cassinens. alias S. Justinæ de Padua, ejusque Præsidentes, Visitatores, Abbates Superiores, & Monachi, ac personæ quæcumque fruuntur, & gaudent, nullo prorsus excepto privilegio, etiam si specialem requireret mentionem, firmisque remanentibus reliquis juribus, & privilegiis a prædicto capite Bizeunoviensis Monasterii in dicta Congregatione Bohemiæ, ejusque Monasteriis ab immemorabili tempore possessis a Nobis communicari plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur Congregationem primordiam, quam peculiari paternæ charitatis affectu prosequimur, ipsumque Otthmarum Abbatem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum filium modernum Procuratorem Generalem dictæ Congregationis Cassinens. super præmissis audiverunt consilio memoratæ Congregationi Bohemiæ Monachorum Ordinis S. Benedicti, ejusque Abbati Præsidenti, aliisque Abbatibus, Monasteriis, Monachis, cæterisque personis dictæ Congregationis, illiusque membris nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, privilegiis, indultis, aliisque gratis, tam spiritualibus, quam temporalibus quibus potiuntur, & gaudent Congregationes Cassinens., & aliæ dicti Ordinis Sancti Benedicti potiri, & gaudere possint, sine præjudicio tamen aliorum privilegiorum eidem Congregationi Bohemiæ a Sede Apostolica, sicut præmittitur, alias concessorum, auctoritate Apostolica tenore præsentium juxta petita concedimus, & indulgemus; salva tamen semper in

Preces Abbatibus Bizeunoviens., qui est Caput Congregationis.

Concessio præd. sine præjudicio priorum privilegiorum d. Congregationis.

Clausula.

præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & quo tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dictæ Congregationis Bohemæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sanctissimo præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem pro sua fides tam in iudicio, quam extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CXXXVI.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Regul. de primatu inter Clericos, & Laicos, horumque titulo pro Provincia Batice Ordinis Minor. de Observ.

De Primatu inter Fratres Discalc., & Eremitas S. Aug. Provincia Mexicana vide Const. ed. 1705. Dec. 12. P. 6. Et Inn. XIII. Const. ed. 1711. Julii 5. P. 1. de primatu inter Laicos, & Clericos Reformatos, & 3. Ord. in Regno Sicilia.

Dat. 6. Oct. 1714. An. 14.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Species facti.

EManavit nuper a Congregatione Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in causa prætensa consuetudinis præcedentiæ inter dilectos filios Clericos Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciae Batice ex una, & Fratres laicos ejusdem Provinciae ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur videlicet -- In causa prætensa consuetudinis præcedentiæ vertente inter Fratres Clericos Ordinis de Observantia Provinciae Andaluæ ex una, & Fratres Laicos ejusdem Provinciae ex altera de, & super infrascriptis Dubiis, nempe. 1. An Fratres Laici Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Provinciae Batice tam Conventuum de Observantia, quam Recollegiorum præcedere debeant Fratres Clericos non in Sacris constitutos, quamvis Choristæ sint receptione Juniores, & Laici sint receptione antiquiores. 2. An Fratres Laici denominari debeant Patres, & titulo Re-

Decretum Congregationis super tribus dubiis, & mandatum Sanctissimi pro expeditione Brevis.

verentiæ frui, prout denominantur, & fruuntur Sacerdotes ejusdem Ordinis, & Provinciae, vel potius contenti esse debeant titulo charitatis, sicut Clerici, seu Choristæ ejusdem Ordinis. 3. An sit imponendum perpetuum silentium in casu &c. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita referente Eminentissimo Sanctæ Priscæ, Procuratore dumtaxat Fratrum Clericorum informante, ac altero Fratrum laicorum, licet pluries intimato, informare recusante, & dilationem petente ad supra scripta Dubia infrascriptum in modum respondendum censuit. Ad primum negative. Ad secundum negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam. Ad tertium affirmative, & amplius hujusmodi causam non proponi mandavit, prout præsentis Decreti vigore amplius non proponi mandat, & præcipit. Romæ 31. Augusti 1714. oblati subinde precibus Sanctissimo Domino Nostro ex parte Laicorum supplicantium pro suspensione Brevis confirmatorii prædictorum Decretorum editi die 31. Augusti proximi præteriti, & pro nova audientia, iisque per Sanctitatem Suam ad eundem Eminentissimum S. Priscæ Ponentem remissis pro relatione precum in prima proxima Congregatione, & per Eminentiam suam relatis in Congregatione habita sub dicto die 28. Septembris dicti anni, eadem Sacra Congregatio decrevit consulendum Sanctissimo pro expeditione Brevis. Et die 29. dicti Mensis facta per me infrascriptum Secretarium de præmissis relatione Sanctissimo Domino nostro in solita Audientia, Sanctitas Sua iussit expediri Breve, non obstantibus &c. Cardinalis de Abdua F. Archiepiscopus Nicænus Sec.

§. 1. Cum autem, sicut dilectus pariter filius Dominicus a Jesu Maria prædicti Ordinis Fratrum de Observantia professus, & Provinciae Batice Procurator Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmiter subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communitari summopere desideret. Nos ipsum Dominicum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentis literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciae, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Preces Procuratoris Provinciae.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

Quibus

Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CCXXXVII.

Confirmantur Decreta Congregationis Episc., & Regul. in Causa de facultate Assistentium, & primatu tempore S. Visitationis inter Priorem Gen. Eremitarum S. Augustini, & Vicarium Gen. Congr. Lombardiæ.

Const. ed. 1713. Oct. 20. P. 13. extant nonnulla pro electione, & facultate Dissinitorum, & Vicesgerentium dictæ Congregationis. Et Benedict. XIII. Const. edit. 1727. Sep. 27. P. 4. agitur de Officiis Vicarii, Procuratoris, & Dissinitorum in toto Ordine S. Aug.

Dat. 12. Nov.
1714. An. 14.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

EManarunt nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita in Causa Romana Visitationis inter dilectos filios Priorem Generalem Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, ejusque Assistentes ex una, & Congregationem Observantiæ Provinciæ Lombardiæ ejusdem Ordinis ex altera partibus vertente Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. In Causa Visitationis verten. inter Patres Priorem Generalem totius Ordinis Sancti Augustini, ejusque Assistentes ex una, & Congregationem Observantiæ Provinciæ Lombardiæ ejusdem Ordinis Partibus ex altera, propositis infra scriptis dubiis, videlicet. Primo. An casu Visitationis Conventuum Congregationis Observantiæ Lombardiæ peragendæ per P. Generalem Ordinis, possint intervenire Patres Assistentes ejusdem Ordinis? Secundo. An, & quando se se ingerere valeant, & an, & quando votum eis competat? Tertio. An Vicarius Generalis, seu Visitator prædictæ Congregationis possint in actu Visitationis a pari, seu in æquali gradu procedere cum dicto Priore Generali in sedendo, genuflectendo, seu potius competat locus inferior, & quomodo? Quarto. An, & quis locus competat Patribus Assistentibus quatenus ipsi possint intervenire in actu Visitationis.

§. 2. Sacra Congregatio die 19. Aug. 1712. Patribus ipsis auditis, & informantibus, re mature, & accurate discussa, & referente Eno Corfino, ad præfata dubia respondit. Ad primum. Affirmative, præterquam in Scrutinio secreto. Ad Secundum. Provisum in primo, & competere Assistentibus Votum consultivum tantum apud solum Priorem Generalem. Ad Tertium. Non liquere. Ad quartum. Competere Assistentibus locum post Vicarium Generalem, seu Visitatorem Congregationis. Reproposito sub die 3. Februarii 1713. supradicto tertio Dubio, videlicet. Tertio. An Vicarius Generalis, & Visitator Congregationis Lombardiæ Ordinis Heremitarum Sancti Augustini possint in actu Visitationis a pari, seu in æquali gradu procedere cum P. Generali in

sedendo, genuflectendo, seu potius competat locus inferior, & quomodo? Sacra eadem Congregatio partibus iterum informantibus, & referente præfato Eminentiss. Corfino, rescripsit. Ad mentem, quæ fuit, ut præscriberetur modus ab Eminentissimo Ponente referendus in Sacra Congregatione.

§. 3. Qui quidem modus in Congregatione habita sub die 21. Julii dicti anni 1713. ab Eminentia Sua præscriptus, & relatus fuit, ut infra sequitur, nimirum. Quoniam S. Congregatio Episcoporum, & Regularium sub die 3. Februarii currentis anni in Causa Romana Visitationis inter P. Generalem totius Ordinis Eremitarum S. Augustini, & Venerabilem Congregationem Lombardiæ ejusdem Ordinis ad Tertium Dubium a me propositum -- An scilicet Vicarius Generalis, & Visitator Congregationis Lombardiæ Ordinis Eremitarum S. Augustini possint in actu Visitationis a pari, seu in æquali gradu procedere cum P. Generali in sedendo, genuflectendo, seu potius competat locus inferior, & quomodo? Rescripsit juxta mentem, & mens fuit, ut præscriberetur a me modus referendus in eadem Sacra Congregatione, quæ de cætero jure credit, quod idem P. Generalis in quibuscumque actibus Visitationis esset cum distinctione tractandus: dum Visitationi assistit P. Vicarius Generalis, & cum majori distinctione assistente simplici P. Visitatore ejusdem Congregationis; Hinc ego auditis etiam deinde Patribus, & re mature perpenſa, crederem, quod posset ita præſiniri. Primo. Quod dum Pater Generalis recipitur cum Cruce ante Januam Ecclesiæ, & processionaliter, incedere ipse debeat post Religiosos Conventus, & P. Vicarius immediate post Patrem Generalem. Secundo. Quod Pater Generalis habeat paratum genuflexorium cum tapeto, & duobus pulvinaribus, uno brachiis, altero genibus supponendis, & Pater Vicarius Generalis aliud pulvinar, non in genuflexorio, sed in terra superponendum genibus suis a sinistris Patris Generalis. Tertio. Quod idem P. Generalis habeat Sedem super supremum gradum Altaris dum Religiosi ipsi obedientiam præſtare debent, & Pater Vicarius Generalis aliam Sedem habeat a sinistris Patris Generalis in infimo Altaris gradu positam. Quarto. Quod P. Vicarius Generalis, sit primus in præſtando obedientiam Patri Generali non quidem ante ipsum genuflectendo, sed tantum ejus manum deosculando, quem P. Generalis statim amplectatur, & P. Vicarius Generalis una tamen vice obedientiam P. Generali præſtare teneatur, scilicet in primo conventu visitando, & non in aliis, si in ipsis P. Vicarium Generalem adesse contingat. Quinto. Quod dum fit Scrutinium secretum, conduntur Decreta, & de aliis rebus ad Sacram Visitationem spectantibus fiunt Congregationes, P. Generalis sedeat in capite Mensæ, & Pater Vicarius Generalis sedeat pariter a latere sinistro ejusdem mensæ. Si vero assistat Visitationi non Pater Vicarius Generalis, sed simpliciter P. Visitator Congregationis, hic incedere debeat post Patrem Generalem, immediate genuflectere in terra sine pulvinare, obedientiam eidem Patri Generali præſtare ejus manus deosculando, & habeat Sedem pariter in inferiori gradu Altaris post præſtitam obedientiam ipsi Patri Generali, & in Scrutinio secreto, aliisque congressibus pro Decretis condendis, cæterisque ad Sacram Visitationem ordinandis sedeat cum P. Generali a latere sinistro mensæ. Sacra Congregatio &c. referente Eminentiss. Corfino, censuit, ac decrevit, supradictum modum ab E. S. propositum servandum esse.

§. 4. Postremo repropositis iterum omnibus præfatis dubiis, una cum modo per Eum

III. Decretum quo approbatur modus servandus in casu tertii dubii a Card. Ponente propositus.

I. Decretum Congregationis 1712. super 4. dubiis.

Eorum resolutiones.

II. Decretum 1713. super d. tertio dubio.

IV. Decretum 1714. de

Præces Procuratoris Gen. Congregationis Lombardie.

Confirmatio relationum Decretorum.

Clausulæ.

CXXXVIII

Corfinum, ut supra, præposito -- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus ipsis denuo informantibus, & referente eodem Eminentiss. Corfino stetit in Decretis in omnibus, & causam huiusmodi amplius non proponi mandavit. Romæ 28. Septembris 1714. F. Card. de Abdua -- Ferdinandus Archiepisc. Nicenus Secr.

§. 5. Cum autem, sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis dictæ Congregationis Observantiæ Lombardiæ nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiti summopere desideret; Nos ejusdem Procuratoris Generalis desiderio hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 6. Decernentes easdem præsentibus literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, in omnibus, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Congregationis Lombardiæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Novembris MDCCXIV. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Confirmantur quedam Decreta Congregationis particularis, ac Episc., & Regular. de revocatione Decretorum Capituli General. 1703. Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidental., ejus erectione in Religionem, aliisque nonnullis ad regimen pertinentibus.

Erectionem hujus Congregationis, ejusque Constitutiones vide in Inn. XI. Const. ed. 1687. Mar. 26. P. 11. Erecta fuit in Religionem ab hoc Pontifice Const. edit. 1710. Apr. 3. P. 10. Et Bened. XIII.

Const. ed. 1725. Maii 4. P. 1. confirmantur quedam resolutiones Capituli Gen.

C L E M E N S P A P A X I .

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanarunt tam a Congregatione particulari nonnullorum ex Venerabilib. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus a Nobis specialiter deputata, quam a Congregatione eorumdem Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita ad supplicationem dilecti filii Francisci de Sancto Antonio Fratris expresse professi, ac Prioris Hospitalis, seu Domorum Mexican., Angelopolitan., Oaxacan., & S. Christophori de Havana nuncupat. Congregationis Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus Decreta tenoris, qui sequitur, videlicet -- Cum in asserto Capitulo Generali Congregationis Bethlehemitarum habito Guathemalæ die 12. Decemb. 1703. quamplura edita fuerint Decreta contraria Constitutionibus dictæ Congregationis Apostolica auctoritate erecta anno 1687. confirmatis, adversus prædicta Decreta nomine Hospitalium, seu Domorum Mexican., Angelopolitan., Oaxacan., & S. Christophori de Havana nuncupati ejusdem Congregationis, mediantem persona fratris Francisci a S. Antonio eorum specialis Procuratoris, habito recursum ad S. Sedem Apostolicam, & negotii huiusmodi cognitione remissa ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, & per eam deputata Congregatione particulari Eminentissimorum DD. Cardinalium S. Clementis, Gabriellii, & Parracciani usque, & sub die 12. Aprilis 1709. prodit Decretum tenoris sequentis -- Renovatis Decretis asserti Capituli Generalis in ea parte, in qua sunt contraria Constitutionibus, Apostolica auctoritate confirmatis, serventur omnino eadem Constitutiones & Archiepiscopo Limano pro executione, & convocacione Capituli, cui præsideat per se, sive per alium, cum omnibus facultatibus Sac. Congregationis, & quatenus tunc temporis Archiepiscopus obierit, exequatur, & præsideat Vicarius Capitularis; Quod Decretum sub die 25. Martii 1710. fuit per speciale Breve a Sanctissimo Domino nostro confirmatum; Et postea cum in eadem Congregatione orta fuerit dubietas. An Congregatio Bethlehemitarum esset vera, & formalis Religio, habita de tali dubitatione notitia a fratre Michaeli a Jesu Maria, & a fratre Francisco a S. Antonio, isti recursum habuerunt ad Sanctissimum, ad hoc, ut erigeret Congregationem Bethlehemitarum in veram Religionem, & delegata instantia per Sanctitatem Suam eidem Congregationi particulari trium Cardinalium, prodit sub die 8. Novembris ejusdem anni 1709. Decretum -- Consulendum Sanctissimo pro erectione Congregationis Bethlehemiticæ in Indiis Occidentalib. in veram Religionem cum votis solemnibus emittendis ex integro, etiam ab iis, qui hætenus vota emisserunt in eadem Congregatione: Ita tamen, ut emittentes nova vota prius certioventur de inefficacia præcedentium Votorum ad constituendos eos veros Religiosos -- Quod Decretum fuit a Sanctitate Sua approbatum per aliud Breve expeditum die 3. Aprilis 1710. Comque sub prætextu, quod P. Rodericus a Cruce assertus Præfectus Generalis Ord. Bethlehemitarum non fuerit auditus in supra relata Propositione habita coram dicta Sac. Congregatione deputata Serenissimus Rex Hispaniarum Philippus V. rentis dictis Brevibus remisit Partes ad Sanctissimum, ad effectum audiendi super præmissis ejus oraculum, porrecto pro parte Fratris Michaelis a Conceptione Procuratoris dicti Patris

Dat. 22. Dec. 1714. An. 15.

Species facti.

I. Decretum 1709. de revocatione Decretorum Capituli General. 1703. Constitutionibus adversantium.

II. Decretum 1709. de erectione Congregationis in veram Religionem.

Rode-